



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

CXVII. Die Markgrafen Otto und Konrad verkaufen der Kirche in Retzow eine Hufe Landes mit einem Hause und schenken ihr die Schäferereigerechtigkeit, am 29. Juni 1289.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

si funiculus ecclesiastice censure fuerit triplicatus, efficacius feret auxilium contra perverforum violentias et conatus et clerus tali suffultus presidio, dante domino, liberius respirabit. Cum igitur inter alia juris remedia precipuum et magis efficax videatur, ut excommunicationum seu interdictorum sententie late per vos et episcopos vestros, qui pro tempore fuerint, a nobis et nostris successoribus strictius observentur et publicentur, quandocunque et ubicunque fuerit oportuna, dum tamen a vobis super hiis fuerimus requisiti, nos Withego episcopus, Bernardus prepositus, Sifridus decanus totumque capitulum Misnenfis ecclesie nos et nostram ecclesiam presentibus obligamus firmiter, ut ea, que premissa sunt et pro nobis statuta in consilio Maguntinensi vel Magdeburgensi, inviolabiliter observemus. Hoc recognoscimus et presentibus literis protestamur, quas sigillorum nostrorum impressione roborandas duximus in testimonium premissorum. Hanc vero obligationem per decem annos continuos decrevimus duraturam. Datum Misne, anno domini M^o. CC^o. LXXXVIII. sexto idus Januarii, pontificatus nostri anno XXII.

Nach einer Copie im alten Copialbuche.

CXVII. Die Markgrafen Otto und Konrad verkaufen der Kirche in Riezow eine Hufe Landes mit einem Hause und schenken ihr die Schäfergerechtigkeit, am 29. Juni 1289.

— Otto et Conradus, dei gratia marchiones Brandenburgenses — de communi consensu fratrum ac heredum nostrorum omnium ecclesie in Rizzow unum mansum situm in villa Rizzow, cum una area, que ad predictum mansum pertinere dinoscitur cum hereditate et proprietate ejusdem mansi et aree et cum omni juris integritate donavimus proprietatis ac hereditatis titulo quiete et pacifice perpetuis temporibus possidendos, eo modo quod iste mansus et area coadunabuntur aliis duobus mansis prius jam dicte ecclesie adjacentibus, per quos ecclesia est dotata sic, quod dos ecclesie erit de cetero et jure priorum mansorum in nullo destituentur sed in omnibus similes eis erunt, abrenunciantes universo juri, quod nos hactenus habuimus tam in manso quam area supradictis ita quod nichil juris, nichil profus proprietatis nobis vendicabimus de cetero in eisdem. Provide dedit nobis ecclesia Brandenburgensis et persolvit decem marcas argenti Stendaliensis et ponderis ejusdem. Ceterum rectori predicte ecclesie in Rizzow, qui pro tempore fuerit a preposito sive capitulo Brandenburgensi institutus, pie indulgimus, ut possit habere pastorem et gregem ovium divilium ab ovibus aliorum et sine contradictione qualibet rusticorum. Ut igitur hec nostra donatio etc. testibus adhibitis valde bonis: ut domino Conrado de Redere, domino Henrico de Wardenberge dapifero, domino Bertoldo pincerna, Hinrico advocato dicto de Segesere, Godekino de Aldenhufen, et aliis pluribus fide dignis. Acta sunt hec in antiqua Brandenburg. Anno domini M. CC^o. LXXXVIII. in festo beatorum apostolorum Petri et Pauli, et data per manum domini Alwardi curie nostre notarii.

Nach dem Originale.